34. 4. H. 17

TIBERIS. INVNDATIO
ANNI. M.D.IIC

Ioſephi Caſtalionis Iuriſconſulti Romani.

AD. PETRVM. ALDOBRANDINVM CARDINALEM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



SVPERIORVM. PERMISSV

ROMÆ, Ex Typographia Nicolai Mutij 1599.

TIBERIS INVNDATIO
ANNI M.D.IIC

Ioſephi Caſtalionis Iuriſconſulti Romani.

AD PETRVM ALDOBRANDINVM CARDINALEM



SVPERIORVM PERMISSV

ROMAE. Ex Typographia Nicolai Mutij 1599.

PETRO. ALDOBRANDINO CARDINALI

Ioſephus Caſtalio S. P. D.

QVI Tiberis inundationem à Deo iure immiſſam pie prædicant, eorum ipſe in ſententiam pedibus eo. huiuſmodi enim clade voluit vel ſcelerum pœnas à nobis ſumere, vel periculum facere, num potentiores tenuioribus opitulentur. Quis enim opificum, inſtitorum, mercatorumq; fraudes, dolos, verſutias, & periuria enumeret quis ſociorum perfidiam? quis noſtram ſuperbiam, intemperantiamq; iuſto affectam ſupplicio non fateatur? quis in nobis beneficentiam, caritatemq; refrixiſſe non videat? Tu tu inquam PETRE Cardinalis Aldobrandine eximiæ cuiuſdam in Ciuitatem tantis malis laborantem prouidentiæ benignitatiſque in multitudinem à rebus omnibus imparatam ſpecimen dediſti, cum omnibus præſto eſſes, omnibus ſubuenires, quæq; ad alimentorum copiam in ſumma rerum inopia pertinerent, ſtudioſe parares, panem vicatim diuideres, pecuniamq; Parochis in pauperes diſtribuendam traderes. Quis CLEMENTEM viij. Pont. Opt. Max. Patruum tuum Eccleſię bono natum ſummis in Cælum laudibus non tollat, qui totus in hoc ſit, vt Chriſtianam Remp. optime conſtitutam, Vrbemq; Romam ipſius Chriſtianæ reip. caput quam beatiſſimam, feliciſſimamq; velit, nihilq; moleſtius ferat, quàm ſi quid detrimenti quiſquam acceperit. quo nunc nomine grauiſſime angitur. vj. enim Kalen. Ianuarias M. D. LXXXXVIII. Tiberis aquis ingentibus auctus per cloacas in loca depreſſiora ſub Veſperum effundi cœpit. Nocte illa, & die poſtero primum leniter, deinde tanto impetu plana Vrbis in-

uaſit, rapidiſſimiſq; vorticibus per vias euagatus eſt, vt non temere, aut quibuſuis ſe vicis nauigia committerent, iamq; ad primam vſq; contignationem ædium, atq; adeo quibuſdam in locis ſupra euaſerat, factumq; eſt, vt ferè omnes ipſo die IESV CHRISTI Natiuitatis ſacro in ædibus continerentur inuiti, eadem enim ferebatur rapiditate, & violentia, quamuis paulatim decreſceret. Eo igitur die Populus Romanus ſacris publicis per plana Vrbis caruit. Eccleſiæ in locis tantum editioribus ſitæ ab infrequenti ciuiũ cœtu ſunt frequentantæ. Quinto demum die in alueũ ex omnibus partibus relapſus ædificia multa deiecit, pleraq; ruinoſa fundamentis corruptis, limoq; obducta omnia reliquit. Nullus eſt vicus, nulla ferè via, in qua prolabentes domus, aut tignis ſuffultæ non conſpiciantur, Pontis Senatorij, quem Sanctę Mariæ appellamus pars altera, quæ ſiniſtram ripam iungebat diruta eſt. Pontis S. Angeli latera ſupernæ diſturbata, tabernæ diſiectæ. Quamobrem tanto accepto incommodo mouetur Pientiſſimus Princeps, animumq; ad Ciuitatem ſubleuandam, Vrbemq; reparandam, Tiberiſq; inundationes coercendas appellit. quam in rem nonnulla ipſe iampridem adnotaui, quæ propediẽ Iacobus filius collecta, & digeſta vulgabit. Vnum illud hic appingam errare quendam cum multis in locis, tum in eo potiſsimum, quod dicit poſt emiſſum à Paulo iij. Velinum, Clanimq; à Iulio iij. Summis Pontificibus maiores ſemper inundationes factas. fallitur, nec ſententiæ ſuæ tuendæ ſtudio videt, quæ ante, quæue poſt acciderunt. Siquidem Clemente vij. Pont. Max. repagula illa, quibus Clanis, & Velinus cohibebantur, non fuerant intercíſa, & tamen totam Romam nauigabilem factam, & vaſtatam legimus. Pelagio ij. Pont. cui S. Gregorius ſucceſsit eadem loca erant munita, & tamen Tiberim ſuper Vrbis mœnia influxiſſe Paulus Diaconus ſcriptum reliquit. Quid? quod poſt eorum fluminum emiſsiones quadraginta ferè annis bis Pio v. & Sixto v. Pontificibus Max. quam leniſsimè, & per humiliora tantum loca euagatus eſt Tiberis. Sed hæc alias fuſius. Nunc carmen de Tua. CLEMENTISQ; viij. Pont. Opt. paterna cura, & ſolicitudine ſuper Vrbe ſic vexata hilari vultu accipe. Vale vj. Idus Ian. M.D. XCIX.

AD CLEMENTEM VIII PONTIF. MAX

Tiberis Inundatio

IOSEPHI CASTALIONIS

MAxime cum primum CLEMENS *tibi credita rerum*
Summa fuit, Latium diri formidine belli
Soluiſti, & veteris reuocaſti pacis honores.
In ſpatium tua ſe pietas nunc explicat amplum,
Aeternamq; tibi quærit per ſæcula laudem.
Vis ciues inopina tuos oppreßit aquarum,
Nec cultis nuper campis, tectiſue pepercit.
Hibernis etenim vaſtus ſe nubibus imber
Ruperat aerij dorſum ſuper Apennini.
Mille iugis ſine more omnes hinc inde furentes
Saxa per, & rupes petiere Etruſca fluenta.
Non alias magis effuſo tulit agmine Tibris
Obuia per campos armenta, nec obruit æque
Spumeus horriſonis trepidantem fluctibus Vrbem.
Ille (nefas) vaſtos violentus ſtragis aceruos
Edidit, & rapido diſcußit flumine Pontes,
Aequauitq; ſolo paßim labefacta domorum
Culmina, vix validæ potuere obſiſtere moles

Inſano, & rebus minitanti extrema Quiritum.
Tum, Vaticani quacunq; e vertice Montis
Lumina vertiſſes multo manantia fletu,
Omnia gurges erat. vix ſumma cacumina merſis
Tectorum extabant campis. per compita pupes,
Perq; vias omnes admouit nauta feneſtris;
Vnde intercepti domibus petiere ſalutem
Innumeri. PETRVM ſeruatæ gloria plebis
ALDOBRANDINVM ſublimis ad æthera tollit.
Nam ſimul vndantem primos irrumpere vicos
Fama tulit Tiberim, ingenti diſcrimina Romae
Tu commendaras iuueni. nihil ille reliquit,
Quod poſſet tali prodeſſe in tempore, inauſum.
Vndiq; confeſtim lintres naualibus omnes
Imperat educi, & populo præſto eſſe vocanti:
Nec non piſtores quicunq; in collibus eſſent,
Noctes, atq; dies ſudent Cerealibus armis,
Candentiq; doment fruges teſtudine mandat.
Ocius impellit ſexcentas palmula cimbas,
Pallidaq; inſtanti ſubducit corpora letho.
Depreſſis hic ſe in naues ex ædibus infert,
Cum teneriſq; petit natis, & coniuge Montes.
Ille cibum obſeſſas inuectum ſumit ad ædes.
Præcipitis vero decreuit vt impetus amnis,
Attoliq; aliquot reuocatis limina lymphis
Cœpta, pius magna comitum ſtipante caterua

Luſtrat equo iuuenis, pedibus quas nonit adiri
Poſſe vias, miſeris & opem fert ciuibus ipſe.
Ipſe malis feſſos recreat, Cereremq; popello
Suppeditat, largisq; opibus ſolatur egentes.
At tua quis narret ſubitis Pater optime rebus
Conſilia, afflictam gemeres cum cladibus Vrbem.
Tu, quæcunq; geri tantis potuere periclis,
Geßiſti intrepide miſeratus damna Quiritum.
Sublatisq; oculis in ſummum crederis axem
Exoraſſe Deum, iuſtam placatus vt iram
Poneret, exitiumq; ſacra remoueret ab Vrbe.
Nam Crucis in ſpeciem ſimul atq; extendere dextram
In ſe te Tibris ſenſit, violenta repreßit
Agmina continuo, notumq; receßit in alueum.
Ac ne dira fames ſeruatum vulgus ab vndis
Conficiat, ſegetumq; premat penuria feſſum.
Quod male texiſſent commiſſas horrea fruges,
Hauſiſſetq; molas rapidi violentia fluctus.
Frumenti extemplo terraq; mariq; vehendam.
Vndiq; vim magnam curas, & conſulis Vrbi.
Nec non dura leuas multis incommoda doni,
Speq; animos extollis humo meliore iacentes.
Et ne corporibus lutulenti mollibus obſint,
Fœda repurgari veſtigia præcipis Amnis.
Iam poſito in nitidam ſenio conſurgere formam
Munere Roma tuo properat. Pons Aelius altis

Diſturbata vadis recipit iam marmora per te.
Iamq́; tuis ſacra reparantur ſumptibus ædes.
In cœlum factis Pater optime talibus itur,
Sic ſancti meruere olim ſtellantia regna.
Pontifices, Roma quos ſæcula priſca tulere.
Hoc detrimenti acceptum noua protulit in te
Semina Virtutis. titulis noua gloria partis
Additur, & pietas ſpectata per ardua rerum
Clarius effundit totum tua lumen in orbem.
Gallia ſic poſitis per te ciuilibus armis,
Finitimisq́; ſimul conceſsit in otia bellis.
Sic tua Pannonio repulerunt limite Turcam
Signa, iugumq́; tuis Dacus ceruice remouit
Auxilijs, per te Imperij ſic finibus auctis
Romuleas ingens metuit Ferraria leges.
Aduerſis creuit CLEMENS *tua gloria rebus.*

14 bis
164

CARMEN

Sex in partes Chori diſtinctum & à Muſicis emodulatum,

Quo die idem Illuſtriſs. D. D. Ferdinandus de Corduba & Cardona publicè Philoſophiæ theſes defendit in Collegio Romano Societatis IESV.

TVrrita Mater, fœcunda Mater
Laudumq. belli, paciſq. laudum:
Grato Virago terrore blanda,
Dulcis ſeuero Regina riſu:
Ignara vinci, dedocta fraudes.
Claro prætexta Senatu,
Centum complexa nepotes
Omnes honeſtos, Heroas omnes:
Sol axe quicquid colluſtrat, armis
Pergreſſa quondam:
Ritu Termoodontio
Sparſura bellum:
Curſu Bellerophontio
Viſura gentes.
Dimicantium victrix:
Supplicantium fautrix:
Imperantium nutrix
ROMA virorum.

Seguito al 13.

Oramus, adſis: & læta ſpectes
Quæ FERDINANDVS certanda bellat
Fretus paterna virtute bella.
Doctus Lycæi triuiſſe campum:
Gnarus Latinis iunxiſſe Graia.
Nil eſſe magnum quod Roma ſpernat,
At eſſe ſummum quod Roma ſpectet;
Sentimus omnes: teſtamur omnes.

2. *Quicumq. rixas doctas miſcere*
Solers haberis; quicumq. linguæ
Audis diſertæ: vim prome mentis:
Vim prome linguæ. ſub ſede fauſta
Cultam Iuuentam verſare fas eſt.
Illam æmulantem CARDONA virtus
Laudes auitas inſtruxit armis,
Nutu paterno tentare iuſſam
Famæ periclum; pugnæ procellam.

3. *Sic & comantis Marmaricus leo*
Ceruice flauos excutiens toros,
Creuiſſe natis vt ſenſit vngues,
Iuſtoq. malas albere dente;
In plena primum mittit ouilia:
Mox & feroces vexare tauros
Regale pectus, prædaq. monſtrat
Maiore ſæuos laſſare rictus.

4. *Si vera narrant: quæ, tela celſas*
Tactura turres vltrice flamma

Præ-

Præbet ſatelles pennata Regi
Ancillata Tonanti :
Vtcumq. penna maiore nidum
Ignis triſulci pulſauit hæres ;
Ad ſolis ictus imminentis
Explorat acres irretorta
Ceruice viſus
Prolis adultæ .
Exin volatus ſublime tollit
E rupe celſa ſubuecta Cælo,
Hærede iuncto. mox in fugaces
Delapſa damas exercet iras
Præuia Mater .
5. *Non fallor . Hæc te* CARDONA *proles*
Exempla tangunt . ſic te ſeueri
Cultus Parentis iuſſit (repoſcens
Senſus auitos ex te) nitentis
Spectare formam Virtutis almam
Vultu irreflexo : cunctosq. pacis ,
Cunctosq. belli nouiſſe mores .
Nouere quantum Patris Parentes ,
Paterq . quantum, virtutis omnis
Hæres tuorum: cui Roma plaudit,
Quo gaudet armis diues Iberia .
6. *Veri decori fœcunda Mater*
Roma triumphis ſubnixa centum ,
Centum fulta trophæis ,

Si

Si FERDINANDO bellata laudas
Freto paterna virtute bella;
Oſtende plauſu, gratare vultu.
Nil eſſe magnum quod ipſa ſpernas:
At eſſe ſummum quod ipſa ſpectes;
Sentimus omnes: teſtamur omnes.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE